

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XII. Quod in sua tenatione fuit consolata.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

riam gestaverit, hoc erit merces laboris ejus, quod cum primo anima ejus a corpore exierit, nusquam nisi in Corde meo mansionem habebit. »

CAPUT XI.

DE FLAGELLO DOMINI.

VIDIT aliquando Dominum stantem, aureum flagellum manu tenentem, sibi minantem. Tunc illa corruit in terra, et flagellum Domini amplexabatur. Idque dabatur intelligi quod homo cum gratitudine dona Dei suscipere debet, tam prospera quam adversa. Dominus autem elevans eam, tunica rubea eam induit plena foraminibus, dixitque illi: « Sic corpus meum in passione totum erat undique perforatum et doloribus laceratum, ut a planta pedis usque ad verticem non esset in me vestigium sanitatis. » In hoc præfigurabatur quod molestia infirmitatis eam in brevi erat oppressura.

Anima
flagellum
sibi minax
amplexatur.

Vidit etiam Dominum aureum calicem retro se tenentem: per quod intellexit quod dulcedinem quam Deus animæ infusus est, ista necdum videt neque gustat, sed est in Deo abscondita, a quo bona cuncta procedunt.

CAPUT XII.

QUOD IN SUA TENTATIONE FUIT CONSOLATA.

HANC Dei famulam diabolus valde ac sæpe tentationibus infestabat, sicut etiam quosque Deo devotos consuevit

Tentator
divinæ
dulcedini
timorem
immiscet.

Timor per
Dei gratiam
in profectum
animæ
succedit.

molestare. Contigit itaque die quodam ut Deus suam gratiam eidem participasset, et magnum bonum animæ ejus fecisset; cum in ejus præsentia esset, affuit tentator, immittens cordi ejus timorem illum et tristitiam, quod donum illud non esset a Deo. Cum autem nimium fatigaretur, corruit ad pedes Domini Jesu, et conquerebatur infidelitatem cordis sui, dicens: « Ecce, Domine mi, hoc donum offero tibi ad æternam laudem et gloriam tuam, orans ut si donum hoc non est ex te, nunquam amplius detur mihi, quia omni dulcedine et consolatione propter te libentissime carebo. » Quam Dominus proprio vocans nomine ait: « Mi dilecta Mechtildis¹, noli timere, ego juro tibi per virtutem meæ divinitatis, quod timor et tristitia hæc te non nocebunt, sed magis sanctificabunt, et ad gratiam meam te præparabunt. Et si hæc cordis tui gaudium non temperarent, cor tuum nimia dulcedinis affluentia dissolvi oporteret. Noli mirari, si te istæ cogitationes impugnant, cum sis in mea præsentia; quia et diabolus me tentabat, cum propter te penderem in cruce. »

CAPUT XIII.

QUALITER DEUS ANIMAM IN MÆRORE SUSTENTAT.

ALIA vice, cum nimium esset turbata, ad Dominum confugit fidelissimum adiutorem. Continuo apparuit ei Christus quasi juvenulus speciosissimus, ducens eam ad

1. Codex Guelferbytanus solus hic nomen Mechtildis scriptum præbet, quod alii reticent, prima ipsius littera contenti.